

P R V S S I A.

niam. Et hanc partem ab eo vocarunt *Sudaviam*. Quod nomen postea, cum iste locus à Crucigeris in solitudinem redigeretur, amisit. Ideoq; quod locus ille Sudavia sit, recentiores omnino ignorant, eumque angulum Sambia, qui hodie *der Sudawwische winkel/ oder der Bruster ort* appellatur, fuisse opinantur, quod falsum est. Nam propter perfidiam à Crucigeris eò translati fuerunt. III *Nadroo* inter Sambiam, Scalavoniam, & Barthoniam suam ditionem accepit, ubi multi fluvii, & vastæ solitudines jam sunt, & vocatur *Nadraw*. In hac Tapiaw *Taplaucken/ Salaw, Georgenburg* &c. arces sitæ sunt. IV *Scalavoni* loca circa utramque ripam fluvii Memel, quem veteres Cronon appellaverunt, cefferunt, & ditio illius *Schalavonia* nuncupata fuit. V *Natango* sortitus istam partem, quæ ab eo nomen *Natangen* accepit: habet à latere Septentrionali *Pregelam*, ab Orientali *Allam* fluvios. VI *Bartho*, inde *Barthonia, Barthenerland*. Fuit divisa Barthonia in Majorem, Minorem, & *Plick Barthen* / sed istæ divisiones jam ignorantur. VII *Galindo* tractum istum à Masovia ad *Allam* fluvium & stagnum *Spirding*, cui nomen *Galindia*, adeptus, habet jam magnas solitudines: magnam partem Episcopus *Varmien*sis possidet, & annumeratur nunc *Var-*

*mia*. VIII *Varmoni* pro sua parte *Varmia*, intra *Galindiam, Natangiam & Pomezianam* regiones, obvenit. Cum autem non diu superstes esset, ille tractus Germanicum nomen ab ejus uxore *Ermia Emmerland* / acquisivit. IX *Hoggo*: hujus dominium à *Varmia* per *Passergiam* fluvium: à *Pomezania* autem per *Weeseckam* fluvium, & lacum *Draufen* separatur, Germanice *Hoeferland* / sed Latine à filia, *Pogia* vocata, nomen habet *Pogelania*. X *Pomeso* *Pomezianis* nomen dedit, terminatur *Vistula, Weesecka, Ossa* sive *Mockra* fluminibus. XI *Chelmo* consecutus est *Culmigeriam* sive *Hulmigeriam*, inter *Vistulam, Mockram* sive *Ossam & Dreventzam* fluvios, tam arcibus quam civitatibus frequentem. Est & districtus non contemnendus, qui *Sossaw* vocatur. Item alius, qui *Lobovia* dicitur, & est Episcopi *Colmen*sis. *Hyntaw* exigua est, sed cultissima ditio. Est & insula circa *Marien*burgum à *Crucigeris* aggeribus adversus exundationes & perruptiones fluminum *Vistulae & Nogot* septa, & vocatur *Insula Major, Gros Werder*; *Minor Insula, das kleyn Werder* / est in *Pomerellia*, circa *Gedanum*. Item *Mariana*, *Marienwerder*, insula sic dicta, quæ quidem non inhabitatur, sed piscuis destinata, magnos præbet redditus.

